

CAPUT IX.
DE
REGALI METALLIFODI-
NARUM JURE.

I.

*Origo do-
minii.*

ORiginem dominii qui indagare student, nullam me-
liorem rationem iniri posse, experiuntur, quam si ad
sacrum confugiamus Codicem, & primordia omni-
um rerum ex eo repetamus. Hic enim nos docet, Deum
optimum maximum omnium rerum Creatorem, universi
orbis, quatenus habitabilis, & occupari potest, totius sc. glo-
bi terraquei, cum omnibus, quæ in isto continentur, do-
minum Adamum cum uxore Eva fecisse, voluisseque, ut
eidem præesset, dominaretur, atque pro lubitu de eodem,
nisi in quantum voluntas divina refragaretur, statuere pos-
set. Quod dominium eam vim habuit, ut si alius præter
Adamum in hoc mundo, cujus possessionem, dum a Deo in
eam introductus, consecutus est, tunc extitisset, hic sine
Adami injuria mundum, vel partem ejus, vel quicquid in eo
continetur, neutiquam occupare potuisset, nisi in quantum,
ipse Deus, cui supremum dominium in omnes res creatas,
ipsum etiam Adamum remansit, vel Adamus ipse permi-
sisset. Quod nec intuitu liberorum Adami eo vivo ali-
ter se habuit, qui ob dominium parentis hoc invito nihil
proprii habere, nec quicquam consumere, aut qualibet re
uti potuerunt, nisi ex patris arbitrio, & voluntate. Cui si
placuit, dominium quarundam rerum ipso vivo in liberos
potuit transferri, ita, ut, quod uni concessum, nec amplius
patris fuerit, nec alius ex fratribus jus sibi in illo potuerit
vin-